

esse patet. Ceterum si aurum terra hac vel pulverisata, vel in aqua soluta praecipitatum fulminante vi gaudere debeat, menstruum auri cum sale ammoniaco paratum sit, necesse est; illae namque calces, quae ex aqua regia cum acido muriatico, vel sale communi aut digestiuo facto calce deiiciuntur, fragorem edunt omnino nullum, si ignis vim experiuntur *).

Neque vero hoc tantum auri praecipitatum, de quo haecenus locutus sum, et colore et fulminante virtute ab iis, quae alcalinorum salium auxilio obtinentur, valde differt, verum etiam illas calces, quae his salibus ex auri solutione deiiciuntur, a se inuicem quodammodo recedere animaduerti. Ac vegetabile quidem alcali pallidiorem, et minori vehementia detonantem puluerem deiicit, quam vrinofum sal, quod proinde, si quis admodum fulminantem calcem habere velit, illi omnino praeferendum est. Multi quidem chemici iam olim perhibuerunt, illud auri praecipitatum, quod alcalino fixo sale ex menstruo, cui nullum volatile alcali inest, deiicitur, fulminante virtute haud praeditum esse, sed omnes, nisi fallor, in ea etiam opinione versati sunt, vt crederent, vegetabile alcali ad detonantem auri calcem producendam aequae aptum esse, ac volatile, modo regia aqua cum ammoniaco sale facta sit; nam vtrumque lixiuum sal ad hunc scopum ita commendant, vt perinde esse videatur, vrinofum, an fixum adhibeamus. Sed est profecto, vt dixi, inter ea praecipitata, quae his salibus obtinentur, aliqua diuersitas, quam equidem inde repetendam iudico, quod alteri calci maior, alteri minor volatilis

*) Aurum aqua calcis viuae ex menstruo, cui nullum vrinofum sal inest, praecipitatum fulminante virtute non destitutum reperiri, nuper *Wieglerius* (*Handbuch der allgemeinen Chemie, I Band, Berlin und Stettin, 1781. S. 410*) contendit, sed repetitis experimentis eius opinio haud fuit confirmata. Conf. etiam *L. Crellii Neueste Entdeckungen in der Chemie, IX Theil, Leipz. 1783. S. 80.* Eiusd. *Chemische Annalen, 1 Stück, 1785. S. 60.*